

HONORES IN PHILOSOPHIA  
SUMMOS

*VIRO-JUVENI*

*NOBILISSIMO, CLARISSIMOQUE*

**DOMINO JOHANNI  
BROCKHAUSEN,**

Rigâ-Livono,

S. S. Theol. Cultori indefesso,

IN ACADEMIA LIPSIENSI

*d. 26. Jan. Anni O. R. MDC XCIV.*

ex meritò collatos

salutares

esse jubent

PATRONI, PRÆCEPTORES, FAUTORES  
ATQUE AMICI.

LIPSIÆ,

TPIS CHRISTIANI GOEZII.

I. N. 7.

**Q**uam probet Eusebie Sophien, quamque utilis illi  
Hæc fit, quando doces, totus utrique places.  
En! Tibi quæ Sophie solvat jam præmia: Longè  
Majora Eusebie, Diva benigna, dabit.

*De nuperrima disputatione deque præmio Magisteriali  
gratulatus scrib.*

D. VAL. ALBERTI.

---

AD DN. BROCKHUSIUM.

**V**iderat Aonios inter te tradere coetus:  
*Theilogiæ qua sese utilitate probet*  
Viderat, & justam Sophie meditata coronam,  
Salve, ait, & meritum docte capeſce decus.  
Nec mora, sub viridi cingens tibi Daphnide crines,  
Doctorem poſthac te jubet eſſe ſuum.  
At, quia majores reſtare videbat honores,  
*Eſt bene nolebat dicere, dixit: Erit!*

*Sic augurab.*

JO. OLEARIUS, D.

---

**N**on miror, ſummo quod te dignatur honore  
Phœbus, quod Cathedram juſſit adire ſuam.  
*Artibus ingenuis excultum pectus amavit.*  
*Nec ſprevit mores, queis tua vita nitet.*  
Doctum quæ peperit ſtudium, Tibi jura Magiſtri  
*Gratulor, utque ferant commoda magna precor.*

*Applaudenti ſtudio ſcrib.*

L. A. G. HESHUSIUS, P.P.

---

**Q**uem Sophiæ lymphis emiſit Riga rigandum,  
Audit cæruleam vertice ferre mitram.  
Quis non felicem matrem deprædicat iſtam  
Cujus ſolenni natus honore cluit!  
Nimirum Virtus, Pietas, Solertia conſtans,  
Hæ tibi, Chare, Sophi præmia pulchra parant.  
Hæc plura excipiant majori laudis honore,  
Ut Rigam celebrem gaudia porrò rigent.

*Honori  
Commensalis ſui dilectiſſimi  
merito ſcripſit*

L. JOHANNES CYPRIANUS, P.P.

*Impi.*

1705

**I**mpiger Eusebies Cultor Sophiesque fuisti  
Testari satis id Lipsia nostra potest.  
Unde Tibi summa Sophie dat jura cathedra,  
Eusebie quondam splendidiora dabit.

L. THOMAS ITTIGIUS.

---

**N**uper eram Præses, ast nunc Tuus ecce: Brabeuta,  
Nobilis ingenii testis utrinque TUI.  
Quàm benè, quàm pulchrè nôrat TUA lingua tueri,  
Quæ minus haud doctâ scripta fuere manu.  
Quàm simul egregiè caput addecet ista corona,  
Hæc TIBI quæ memet distribuite datur.  
Lætus abi tanto, FAUTOR, sat dignus honore,  
RIGA TUIS ausis plura brabea parat.

*Cum voto omnigena prosperitatis Eruditissimo suo nuper Respondenti  
de Lauru philosophica jure optimò collata applaudens scripsit*

L. JOHANNES SCHMIDIUS, P.P.  
Collegii Mariani Præpos. & h. t. Decanus.

---

**S**ic spes, quas dudum mens hæc conceperat amplas  
Ex animò lætor non cecidisse meas.  
Explendoque TUI Venerandi vota Parentis,  
Quæ TIBI gratentur, fervida vota meres.  
Dignus abis, Fautor certissime, mactus honore,  
Uberiora TIBI præmia RIGA parat.  
Omen adest. Nuper Sophicò quò gaudeat usu  
Eusebie, dixti non sine laude Sophus.  
Ipseque Theiologus quondam monstrabis. Id opto:  
Brockhusius Patriæ sit decus atque Patris!

*Æstimatissimo Dn. Brockhausenio suo, in id studiosissimè enitenti, ut  
Magnifici Parentis vota expleat, sincerâ mente honores  
philosop. gratulatur*

GOTTLOB FRIDERICUS Seligmann / S. Theol.  
L. ad D. Thom. Archid. & Min. PP. h. t. Præpositus.

---

**N**osse TIBI placuit, Duce me, quæ climata terra,  
Qui fines, Urbes, quæque notanda sient.  
Orbis. Nunc postquam TE noster Apollo coronat,  
En! studii fructus ipse referre cupis.  
Gratulor. Esto TUUM celebratum Nomen in orbe,  
Urbs TUA te multâ non sine laude notet.

M. HIERONYMUS DICELIUS, Facult. Art.  
Collega & Collegii min. Princip. Collegiatus.

Die

**D**ie Weißheit dieser Welt ist an sich selbst sehr schön/  
 Wer diese Freundin liebt / der wird viel Freude finden/  
 Doch muß ihr größter Glanz gedoppelt schön stehn/  
 Wenn ein Theologus sich wil mit ihr verbinden.  
 Diß hat mein werther Freund bißher gar wohl bedacht/  
 Ja schrift- und mündlich sich unlängst dazu erkläret.  
 Nun wohl / das eine hat den Lohn schon eingebracht/  
 Wer weiß / wo Er die Frucht vom andern noch erfähret.

Seinem hochwerthesten Freunde und fleißigen Auditori, als Er nach  
 rühmlich gehaltener Disputation de Usu Philosophiæ in Theolo-  
 gia zum Meister freyer Künste ernennet wurde / setzte dieses we-  
 nige zu schuldigen Ehren

M. Johann Bünther / Diacon. zu St. Nicolai  
 und Collegiat bey dem Frauen-Collegio.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

**A**ρ' ἐν Φροντίδι τὰ δικαῖα σοίγε  
 Διδῶν εἰκῆτως γερῶν Ἀπόλλων,  
 Ἄρ' ἐν εὐθύμησας ἀγαλμα κρησό-  
 τητα λάβεσθαι

Πρεπόντως τοῖον σε ἔμεντ' ὀράμεν,  
 Στέφ' τιμῶντας δ' ἀρετῇ τὰν αὐτὴν  
 Ἔως ἀν' γὰρ σέλφεν ἕως σὺ μείραξ  
 θεῶνα ἔλεξας.

Ἴδ' ἡδωνὴν ἐνὶ τῷ παρῶντι  
 Ὀμοσπόνδων! ἐκ ἄτερ ἡδονῶν σ' ε  
 Ἐγγύαρτ' βλέψ' τῆς γεννητῆς  
 χάριματα ὄψις.

Θέμις καὶ ἡ περσιθένα εμοῖο  
 Ἄρην ὄψις ταῖς ἀπαντα, οἶα  
 Ἴπ' ἐρ μοξθισμοῖο τὰ ἀθλά εσι  
 χάριματα δῶσθαι!


Nobilissimo Dn. Brockhausen, Fautori & Amico conjunctissimo  
 honores Philos. summos ὀλοκαρδίως gratulatur

M. Godofredus Ludovici, Lusatus.

**S**plendida RIGA tuos Philyre celeberrima Natos  
 Et colit & meritos ornat honore suo.  
 En! TIBI BROCKHUSIUS tanti spes tanta PARENTIS  
 Et meret & fas est, maectus honore datur.  
 Adde Tuum pondus Philyre quem dissita laudat,  
 Huncce TIBI charum Matris ad instar habe.

Gratulatio & votum

M. MICHAELIS MÜLLERI.



# HONORES IN PHILOSOPHIA SUMMOS

*VIRO-JUVENI*

*NOBILISSIMO, CLAR*

## DOMINO JO BROCKHA

*Rigâ-Livo*

*S.S. Theol. Cultori*

### IN ACADEMIA

*d. 26. Jan. Anni O.R.*

*ex meritô coll*

*salutares*

*esse jubent*

### PATRONI, PRÆCEPTO ATQUE A

*LIPSIÆ*

*TPIS CHRISTIAN*

